

**A** Si oblitus es nomen Dei nostri, & extenderemus palmas nostras ad Deum alienum. Notandum hic, quod idololatriæ præmittunt obliuionem nominis Dei: quo admonemur, neminem posse ad Deum alienum erigere palmas, qui non sit oblitus nominis Dei sui. Quod est illud nomen Dei? Quod sit protector omnium in se sperantium, propitius, clemens, omnipotens, &c. OBS. 4.  
Verf. 20.

Quoniam propter te occisi sumus omnibus diebus. Hic versus ab apostolo Paulo Rom. 8. de persecutione, quam tum perpetiebantur Christiani, non querimoniarum, sed magis consolationis, imò gloriandi gratia usurpatus est. Qua in re videmus ista. Primum, quæ sit sanctorum fors in hoc Mundo, non in vno duntaxat, sed vtroque Testamento. Oues sunt, non lupi: occiduntur, non occidunt: occiduntur autem propter Deum, non propter aliqua scelera: imò non solum occiduntur, sed summo cum contemptu, sine omni reputatione. Hoc volunt cum dicunt: *Aestimati sumus sicut oves macellationi destinatae.* Deinde discrimen hoc videmus inter populum veteris ac noui Testamenti. illi querebantur de ista occisione: isti verò gloriantur etiam, vt vides Rom 5. & 8: Nobis gloriosum haberi debet, pati pro Deo. OBS. 5.  
Verf. 22.

TERTIA PARS.

Ista habet versus quatuor postremos, & complectitur orationem, qua Deum ad auxiliandum excitant. Verf. 23, 24.  
52. 62.

Ex præsentibus, & verf. 23. & 24 vbi Deum dicunt *obdormiuisse, oblitum esse, faciemq; aueruisse,* notandum est fidei ingenium: quæ licet omnem calamitatem cognoscat esse manum Dei, & sentiat auersum esse Deum, dormientem & sui oblitum, tamen ad eum ipsum pro auxilio clamat. Notandum autem est, quomodo sancti in tentationibus putet dormire Deum, cum non dormiat qui custodit Israël. OBS. 1.

Secundo loco expendendum est, quid adiungant ad stabiliendam impetrandi fiduciam. Vnum est, quod dicunt se esse oppressos, idq; extremè. *Quoniam, inquit, depressa est in puluerè anima nostra, &c.* Commiserationis affectui seruiunt ista. Alterum, quod admonent Deum bonitatis suæ. Non dicunt *propter constantiam, sinceritatem, aut iustitiam nostram:* (licet supra dixerint: *Nec irritum reddimus fœdus tuum*) sed, *propter bonitatem tuam.* Ista perpetuum obiectum est sanctis, dum opem Dei implorant. OBS. 2.  
Verf. 21.

PSALMVS XLV.

INVITATORIVM SVPER FILIIS FILIORVM KORAH

eruditium, carmen amatorium.

**T**itulus indicat, Psalmum hunc esse quasi epithalamium Regis ac Reginae, quo secundum typum dilectus Deo Salomon (nam is ita vocatur in Scripturis, 2. Sam. 12) & Regina eius cum reliquis, quarum habuisse scribitur ingentem multitudinem: secundum veritatem verò verus Salomon Christus verus rex regnumq; & sponsa illius Ecclesia celebrantur. Proinde istum Psalmum exponemus primum de Salomone, regnoq; & regina illius: deinde de Christo, regno ac sponsa illius Ecclesia. Nã Ebr. 1. vbi verf. 6 & 7. ex hoc Psal. de Christo citantur, manu ducimur, Spiritum sanctum de Christo hic cecinisse magis quam de Salomone.

**E**RUCTAVIT cor meum verbum bonum, dicam ego opera mea Regi: Lingua mea, calamus scribæ properantis. VERS. I.

Lectio conuenit.

1. Ista sunt proœmij vice, quibus autor declarat, de quo instituerit canere nempe de rege. 2. Deinde quo affectu, videlicet cordis: id est, ex corde & animi sententia, non tantum lingua. Quò & referendum est, quòd linguam suam comparat calamo velociter scribentis: id est, eius qui ex animi sententia scribit. Calamus enim ei qui libetè & animo prompto scribit, obsequetior est ac properantior, quam ei qui non ex animo scribit. Ita qui ex corde loquitur, obsequentissimam habet linguam. 3. Tertiò, quid velit de rege canere: *Verbum bonum*, inquit, quod nihil est aliud, quemadmodum & sequentia declarabunt, quam laudem ipsius regni, ac reginæ eius. Scripturæ bonum loqui de proximo, idem est atq; laudare proximum. Hinc est illud Christi. *Benedicite maledicentibus vobis. hoc est, Loquimini bona de ijs, qui de vobis malè loquuntur: laudate eos, qui vos vituperant.* Opera mea: id est, canticum meum. Regi: id est, de Rege. Non absimile proœmium habet & Esaias cap. 5. quod suo cãtico præfixit. Ita solent illi, qui ex animo quid celebraturi ordiuntur.

Admonemur hoc versu, vbi dicit: *Eruçtat cor meum verbum bonum, & lingua mea calamus, &c.* quomodo id quod de Christo rege nostro laudis vice dicturi sumus, debeat eruçtari ex corde, Christi amantissimo, laudisq; illius cupidissimo, ex quo laus Christi ebulliat. Ipsa tarditas ac pigrities decantandi laudes Dei, euincit stupiditatem cordium nostrorum. Lingua nostra certè non est instar calami scribæ velociter scribentis. OBSER.

Hunc versum usurparunt in monasterijs monialium, quando velarunt eas quæ se voto obstringebant, vel Dominico, vel Benedicto, vel Francisco: cum pars à parentibus adacta hoc instituti subire cogeret, pars nõ intelligeret quæ vel canebat, vel vouebat: & alioqui non Christi, sed humanarum traditionum seruitus imponeretur. Et ex isto initio putarunt se esse Christi sponfas, adeoq; non debere nec licitè posse coniungi maritis, nisi vellent adulterari à Christo sponso: cum omnes credentium animæ sint Christo desponsatae: eaq; desponsatio, qua sponsa Christi facti sumus, à matrimonio haudquaquam impediatur.

2. *Speciosus forma præ filijs hominum: diffusa est gratia in labijs tuis, propterea quòd benedixit te Deus in aeternum.*

G Lectio